

Letter 62a: 13 November 1520, Ebernburg, Ulrich von Hutten to Capito

The manuscript of this letter is at the Uppsala University Library, Waller Ms de-02506. There is a digital image of the letter available on the library's website (see <http://waller.uu.se/object.xsql?DBID=28502>). The manuscript is partially damaged; hence the elision points.

Ulrichus Huttenus Wolfgango Capitoni salutem.

Valde metuis ne succumbant literae. Ah, imbecillitatem istam vestram, sic facile hominum terrori concedentium! Quin tu te exuscita et fortiter si facere non potes, tamen senti. Non timere literis, id vero prodesse est liter[i]s, sed adserere et vindicare. Ubi multum timeo, ne
5 huius generis epistolis demollias nobis strenuos aliorum animos, et virtutem enerves. Quod ne facias etiam atque etiam oro. Nam si posthac pertinaciter morem te hunc sequi persenserō, dicam multo plus obfuisse literis, quam vel diligentem Aleandri legationem, vel acrem Derthusiensis epistolam. Plane fortibus nobis viris opus est. Non proderunt qui cavent, sed nocebunt qui meticolose omnia admonebunt. Haec amice scribo et communis rei nomine.

10 Quae de Aleandro mones, non prius audieram, sed tu oculos atque aures adverte, ut perdiscas quid in me dicat et faciat sclavus ille; ante omnia stude, ut possis alicuius pontificiae adversum me epistolae exemplum descriptum transmittere. Multum id in rem meam fuerit, si declamat istic Aleander. Stilo respondendum ei est; ipse tantum praemone. Nimis velim exempla
15 habere duorum Decimi ad Moguntinensem brevium. Cura ut describantur nobis. Lutheriana combusta sunt. Quid tum? Etiam Capnionem damnavit Roma. Sed nisi me omnis fortuna deserit, nunquam omnes moriemur inulti. Aliquando resistet aliquid eorum quae pro desperatis habentur nunc.

Sauromannus siquid istic stulte facit mirum non est, nunquam vidi prudenter agere quicquam. De Erasmo terruisti me, contentiosa epis[to]la hominem monui, ut saluti suae
20 consulat. Mitte Ovantem Hogostr[ate]m, ut vicissim accipias Bullam, qui dialogus quantum per equitat[em] licet, nunc scribitu[r] [t]ibi, non infestivus arbitror. Scripsi et comment[arium] in Decimi bulla[m] [...]m brevi habebitis istic. Restat aliud [...] per nostram amicitiam oro te, Bucero monacho author ut fias ex[uendi] quod mire cupit cuculli. Eximie probus est. Una iter feci ab [...]na Spiram usque cum me valde oblectaret. Iuva innocentem [...]um quia nauseat
25 odibilem superstitionis vestitum, sed et quia periculum est illi, a falsis fratribus, p[ro]pter nos in quorum partes transiisse ipsum, iamdudum calumniantur isti. Olim potuissem ipse, cum ibi essem, quo te, ne pessimo cuiquam pateret ille locus, induxi. Convelle Albertum. Non negabit, quod si volet, perfectum erit. Vale et copiose rescribe, ante omnia quae hominum de me iudicia. Iterumque vale. Ex Ebernburgo per amanuensem. Idibus Novembr. Anno MDXX.

30 [Address]: Wolfgango Fabr. Capitoni, theologo syncero et integro, amico candidissimo salutem. In au[la ...]